

† **R. P. Conradus Kohlmann (1879-1944)**

(*Prov. S. Pauli*)



Die 28 mensis sancti Rosarii, die sabbato, paucos dies ante festum Omnium Sanctorum, in domo Campinensi, Status Goiaz in Brasilia, P. Kohlmann mortuus est. Proiiciunt concursus supradicti illustrationem super vitam huius benemeriti missionarii, zelo animarum, operibus praestitis et pietate profunda conspicui. Confidimus, quod confrater infatigabilis celebravit festum Omnium Sanctorum in coelo, purificatus per diuturnam infirmitatem a maculis fragilitatis humanae.

P. Conradus lumen huius mundi vidit in vico Franconiae Seisling, in familia pia tornatorum, die 5 Februarii a. 1879. Ab ineunte aetate sacerdotium aspiravit. Ingressus in iuvenatum Dürrnberg Austriae, postea in festo Nativitatis B. M. V. a. 1903 Garsii vota perpetua nuncupavit. Festo S. Antonii Paduani anni 1908 sacerdotio auctus est. Anno sequenti desiderium sui cordis apostolici explevit evolando in missiones Brasiliae. Nihilominus oboedientiae obsecundans per varia lustra in iuvenatu Aparecidae ut Lector et Director operam suam dedit. Simul etiam, quantum potuit, apostolatui difficili in Brasilia se dedit. Liberatus a scamnis scholae, ardore iuvenili ad missiones exiit et libenter infirmos invisit. Omni hora diei noctisque in equum ascendebat, ut ultima sacramenta eis administraret, saepe in dissitis tuguriis pauperum. Annis sequentibus officio Superioris domuum Pindamonhangaba et Campinas functus est, sed nihil unquam remittens de opere apostolico, primus in omnibus laboribus.

In terris extensis domus novitiatus 10.000 arborum Eucalyptus plantavit, auxilians manu propria congregatis et servis. Campinae zelabat

pro gloria templorum Dei sitorum in vastis paroeciis, administratis a nostris ab penuriam sacerdotum saecularium, ea reconstruendo. Difficile est dictu, quam longa et difficilia itinera P. Kohlmann his in laboribus materialibus et spiritualibus susceperit, quot sudores fuderit, quantas adversitates supportaverit. Charactere Francorum forti, rigido et violento imbutus erat. Eliciens contritionis actum in fine concionis vespertinae in missionibus, percutiebat cum tanta violentia et strepitu proprium pectus, ut audientes perterriti e somno peccati excitari debuerint. Aliis in occasionibus inveniens aliquam resistantiam vel obstaculum, P. Kohlmann in habitualem exclamationem energicam prorumpebat: «*Donnerwetter!*» verbum germanicum difficulter traducendum. Omnes, etiam Superiores, audire debebant verbis vel epistulis datam insistentem et vulcanicam expositionem suae opinionis. In eo fuit robusta voluntas in prosecutione boni desiderati, activitas infatigabilis in laborando, personalitas et tenacitas in orando, volendo et exequendo. Innumerae sunt missiones, novenae, tridua, praedicationes dominicales et festivae datae intra 30 annos suae vitae apostolicae. Optima gaudebat valetudine usque ad ultimum vitae tempus. Demum, ob infirmitatem renuntiato munere Rectoris domus Campinas, solummodo praeparationi ad mortem se dedicavit. Adfuit vero omnibus actibus communitatis. Superiori liberaturo eum ab hac obligatione respondit: «*Quando vires me deficient, ipse sollicitabo dispensationem, quia magnum est pretium vitae communis*». Ingravescente debilitate cordis difficilis fiebat sanctae Missae celebratio. Reclusus quasi semper in cubiculo, repetiit identidem verba S. Pauli: *Video aliam legem in membris meis* (Rom. 7, 23). Habituatus in vita activa sentiit inactivitatem invitam. Per aliquot menses libenter perlegebat periodica publica, ut in annis peractis, deinde sibi dicit: «*Ad quid?*» Renuntiat huic distractioni profanae et vivit solummodo orationi et lectioni piae. Noctes insomnes et dolores cruciantes magis ac magis expoliaverunt veterem hominem et perfecerunt imaginem Christi Crucifixi in nostro dilecto confratre. Praesentiens mortem ante portam, ultimis sacramentis refectus, voluit cum lampade accensa orationis continuae Sponsum exspectare. Cum Fratrem nosocomo oravit ab hora octava usque ad undecimam, quando supervenit agonia, quae paucis horis postea suaviter vitam exstinxit.

Exequiae sollemnes palam fecerunt magnam aestimationem huius filii S. Alfonsi. Praeter massam popularem magistratus civiles et musici policiae cohonestarunt sepulturam. Speramus eum iam audisse vocem Divini Redemptoris: *Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui.*